Timæum, & inter recentiores Nicomachum Geraſenum; Deumque μονάδος, *unitatis* nomine afficientes. Conferendi in eundem cenſum antiquiſſimi Poëtæ, Heſiodus, cujus verba recitat Clemens Alexandrinus; Æſchylus, cujus teſtimonio pugnat Juſtinus; & Euripides, qui unicum eſſe dixit in cælo Jovem; & Aratus, qui ab unius Dei invocatione opus ſuum auſpicatur; & Orpheus, ſive Onomacritus, ob hoc ipſum mihi ſuſpectus, quod âpertius quam alii Dei dotes exponit. Magnifice vero præ cæteris Dei unitatem prædicat Sophocles, cujus carmina repræſentant Juſtinus, Athenagoras, & ex Hecatæo Euſebius. Nec ab iis diſſentiunt Brachmanes, & Arabes illi Philoſophi, qui *Loquentes* appellantur: nec Barbaræ gentes, Sclaveni, & Antæ, quos commemorat Procopius.

XIV. Deum ab hominibus cognoſci non poſſe, variis modis declararunt Scriptores ſacri; velut cum eum dixerunt *poſuiſſe tenebras latibulum ſuum*; *nubes & caliginem eſſe in circuitu ejus*; cum *vere eſſe Deum abſconditum*; *lucem habitare inacceſſibilem*; eum *nullum hominum vidiſſe, ſed nec videre poſſe*; & nos eum *videre nunc per ſpeculum in ænigmate, nunc cognoſcere ex parte.* Itaque dogmata Judæorum cum referret Dio Caſſius, dixit credere Deum eſſe ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ, hoc eſt, neque verbis explicari neque cerni poſſe. Hinc antiquæ omnis Philoſophiæ conſtans opinio eſt, intelligi quidem ab hominibus Dei potentiam, at naturam ab homine mortali intelligi non poſſe. Sic Pythagoras, & Pythagoreus Meliſſus: ſic Anaxagoras: ſic Anaxagoræ diſcipulus Euripides: ſic Plato, qui in inveſtiganda Dei natura laborari vetat, quod neq; inveniri poſſit, neque explicari: ſic Platonis perpetui ſectatores Philo & Plotinus: ſic gregalis eorum Proclus, qui ſupremum Deum noſci poſſe negat, quod neminem ſui participet; & Theologiam eſſe vult habitum, qui Deorum naturam, quantum homini fas eſt, declaret, ſciatque diſcernere, quidquid eorum ignotum eſt, ab iis, quæ hoc participant: ſic Platonis condiſcipuli Xenophon & Antiſthenes: ſic Auctor Metaphyſicorum, quæ adſcribuntur Theophraſto: ſic Stoici: ſic Æſchylus Poëta. Quendam è Græcis ſapientem laudat Juſtinus, qui dixerit, eorum, quæ ad Deum pertinent, nihil eſſe perſpicuum certumque hominibus. Memoratur eidem ſcriptor vetuſtiſſimus Acmon, qui Deum vocat παγκρυφον,

Clem. Alex. Protrept. Juſtin. de Monarch. Dei. Eurip. Helen. v. 498. Orph. apud Euſeb. Præp. Juſtin. de Monarch. Dei. Athenag. Legat. Euſ. Præp. Evang. l. 13. c. 13. Procop. Gothic. l. 3. c. 14. *ignotum*, Pſ. 17, 12. Pſ. 96, 2. Iſa. 45, 15. 1. Tim. 6, 16. 1. Cor. 13, 12. Dio Caſſ. l. 57. Pythagor. Anaxagor. Plato apud Joſeph. contra Apion. l. 2. Meliſſus apud Laërt. in Meliſſ. Plat. in Tim. & l. 7. de legib. Eurip. Troad. v. 885. Plotin. Enn. 5. l. 5. c. 6. Procl. Elem. Theol. Prop. 133. Theol. Plat. lib. 1. c. 3. libr. 2. cap. 11. l. 5. c. 16. Xenoph. & Antiſth. apud Clem. Alex. Strom. 5. Juſtin. in Expoſit. Fidei, & in Paræn.